

prima acie non solum hortatorem, sed virtutis etiam cū-
jusque & strenuitatis testem. His vocibus concitatus miles
ferociter pugnam conserit, tantaque strenuitate & pertina-
cia dimicat, ut fusis fugatisque hostibus, memorabilem sit
victoriam die illo adeptus. Multi in acie cæsi, plures in
fuga: Transilvanus cum omnibus fere barbaris illustribus
qui ea acie dimicaverant, captus est. Capti & Italici no-
minis Bonifacius & Antonius Lupii, ac plerique alii Pa-
tavini illustres. Lodovici & Carrarii Principis signa in acie
disjecta in Venetorum potestatem venere. Creditum est,
Venetum, si hosti instare voluisset, Patavium usque cum
præda & agrorum vastatione facile adequitare potuisse.
Fracti ea clade cives, Carrarios incusare: in eos omnem
belli culpam rejicere: odisse itaque illorum nomen ac dete-
stari. Franciscus interim, ut aliquo incommodo Venetos
afficeret, magnam equitum partem majoris pollicitatione
stipendii Venetis ademit: sed hi aliquanto majorem nume-
rum quam ademptus esset, ex Infubribus accersivere,
quem venientem ut exciperet, Jacobus Maurus Veronam
usque progressus est; eratque cum eo Marsilius Francisci
frater, qui post acceptam cladem, quum se pacis aucto-
rem civibus obtulisset, nec fratrem in sententiam trahere
posset, in illum cum multis conspirasse dicebatur. Ve-
rum reputans quantum ob id sibi a domesticis periculum
immineret, ad Venetos transfugit. Marsili exilium majo-
rem adhuc Francisco peperit invidiam; atque ita civium
odia in eum exarfere, ut nihil amplius ei domi tutius
quam foris videretur. Lodovicus quoque, audita suorum
clade, ac Transilvani casu, ad eum scripsit, ut de pace
quibuscumque conditionibus jam cogitare inciperet: non
esse, cur a se auxilia ulla speraret amplius. Fracta hostis
pertinacia, pacem petiit: quam his conditionibus impe-
travit, ut Princeps & Patres quinque viros crearent, qui
fines, de quibus ambigebatur, suo arbitrio terminarent:
Quod Patavini in præsentia Veneto nomini quadraginta
aureorum nummum millia, inde ad quindecim annos
quatuordecim millia quotannis penderent: Quod Franci-

1372

*Transilva-
nus cum
auxiliari-
bus copiis
victus in
Venetorum
potestatem
venit.*

1373

*Pax Pata-
vino reddi-
ta quibus
conditioni-
bus.*